



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies
Distribvtis**

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

S. Catharina Senensis V. 29. Aprilis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

gularem haufisse persuasum. Nam & in secreto humanorum pectorum mentis obtutum figebat, & morbis cuiuscunque generis medicinam de celo parabat. Habebat Sanctius in vinculis Alphonsum fratrem Hispaniæ regem, cuius libertatem cum Hug. supplex à fratre postulassem, D. Petrus cœnobitæ cuipiam indicavit, Hugonis apud Deum preces momentum habuisse, Sanctioque deinde conspicuus Alphonsi dimittendi mandatum dedit. Episcopo linguae ad petulantiam sermonis expeditæ vaticinatus est, post mortem tumente obſito pustulis ore Manes ejus levitatis confessio nem edituros. Spectro deinde effatum probante indicto in dies septenos monachis silentio, constituta ex contrario medicinâ, flammis purgantibus reum exemit. Sub exitum Deipara cum D. Petro Hugoni adfuit. Eodemque tempore Fulgentius Abbas duos Angelos vidit in astra geminum lectulum molientes, quorum alterum Hugoni, alterum Anselmo Cantuariensi Pontifici dicerent stratum. Et nunc ambo quam molliter cubant! idemque nos, qui, ut S. Augustinus loquitur, volunt malumus in carne & sanguine. Ex Hug. Clun.

Si de omni vel otioso verbo, quodcumque locuti fuerint homines, Deo sunt reddituri rationem in die iudicii, quanto distictius de verbo mendaci, mordaci, injuriosi, de elato vel lascivo, de adulatorio vel detractorio judicabuntur? S. Bern. l. de tripl. Cust.

S. CATHARINA SENENSIS V.

29. Aprilis.

CATHARINA ut primùm fari poruit, scalas perceptans ad singulos gradus Angeli verbis MARIAM salutavit. Quid jam mirum, si his gradibus

29. April. VITÆ SANCTORVM. 217
bus ipsum sanctitatis culmen conscendit? Anno
ætatis septimo, CHRISTO, quem supra D. Domini-
ci ædem conspicuum habuit, se sponsam, ille, con-
ciliante Matre aliisque Cælitibus, Sponsum se ob-
tulit CATHARINÆ. Itaque sæpiusculè jam ad eam
invisere, non raro personatus mendicus amorem
probare, & stipem deinde datam è cælo multis
laudare. Addixerat se feminæ foedo carcinomate
laboranti, nec jam stipendum aliud præter calu-
mnias ferebat. Subtristi eam ob causam nonnihil
ecce CHRISTVS adest, geminam manu coronam
prætendens, hanc auro, illam spinis rigentem, ju-
betque optionem facere. Illa non nescia, quâ Spón-
sus corollâ ornatus esset, spinas invadit, jamque
melius animata impensis pergit servitutem in-
gratæ servire; quin, ut Sponso se probaret, ex ipso
ulcere pus exugit. Meruit hæc sitis alterum hau-
stum, quem ex latere suo dilectæ CHRISTVS pro-
pinavit. Illa ab hâc ambrosiâ jam ebria porrò ausa
est petere, coramans sibi haberet. Superi, quis fi-
dem daret! nisi amori hominum tam obnoxios
vos sciremus? Aufert CATHARINÆ cor CHRISTVS,
& suum reponit. Tunc profecto expleto
amantium voto, CHRISTVM CATHARINA cor
suum: suum CHRISTVS CATHARINAM vocare
potuit. Ex Surio.

*Difficile imò impossibile est, ut & presentibus quis &
futuris fruatur bonis; ut & hic ventrem & ibi men-
tem implete; ut de deliciis transeat ad delicias; ut in
utroque seculo primus sit: ut & in cælo & in terrâ ap-
pareat gloriosus. S.Hieron.Epist.14.*

K

S. RO-